



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

II. De Vitijs Spei oppositis, Desperatione scilicet, ac Præsumptione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO II.

De Vitijs Spei oppositis, Desperatione scilicet, ac Præsumptione.

Spei per de-
fectum op-
ponitur De-
speratio, per
excessum
Præsum-
ptio.

(d) *Uti di-
stinctum Dist.
1. n. 17.
& seqq.*

Desperatio,
in quo con-
sistat?

Cum quælibet virtus suo modo consistat in medio (d) hinc contra eam contingit peccari partim per defectum, partim per excessum. Idipsum videre licet in Spe Theologica, utpote cui per defectum opponitur Desperatio, per excessum autem Præsumptio; non quidem, ac si nimium possimus in Deo sperare (Deus enim est infinitè bonus, omnipotens, fidelis, misericors &c. ac proinde ex parte objecti sui formalis non potest fieri excessus contra Spem Theologicam) sed solum, quatenus ex parte actus, seu exercitij Spei Theologicae, potest fieri excessus, in quantum actus Spei exercetur modo indebito. Siquidem Spes Theologica includit iudicium, & desiderium consequendi æternam beatitudinem modo debito, id est, ex meritis Christi, & accedente propria cooperatione: Desperatio e contra involvit iudicium de ea nunquam consequenda; Præsumptio verò includit iudicium, ac desiderium consequendi æternam beatitudinem modo aliquo indebito, v. g. per solam fidem, vel ex puris naturalibus, aut vivendo sceleratè, ut amplius in progressu declarabitur. Hinc sit

13. CONCL. I. Desperatio opponitur virtuti Spei per defectum; & committitur, cum quis desperat, sese remissionem peccatorum, & gloriam æternam esse consecuturum, atque ideo omnem conatum eandem consequendi intermittit. Duo siquidem in Desperatione interveniunt; primò iudicium intellectus, quo quis iudicat, sibi nimis arduum, & impossibile esse consequi beatitudinem. Secundò fuga voluntatis, qua quis refugit salutem tanquam obtineri impossibilem, atque ideo ab eius procurratione ob difficultatem mediorum apprehensam desistit. Ita Mairius *disp. 10. Theol. Moral. n. 40.* & alij: quamvis benè notet Herincx *disp. 10. n. 50.* quòd Desperatio propriè sit in ipsa voluntate, & actu ipsius, quo quis non vult amplius prosequi beatitudinem, aut media ad eam consequendam opportuna adhibere; iudicium verò illud, quo quis putat, se non amplius obtenturum

bea-

beatitudinem, potius sit aliquid prævium, atque inducens ad Desperationem, non autem propriè Desperatio.

14. CONCL. II. Desperatio ex genere suo est peccatum mortale, atque inter cætera maximè periculosum. Ratio est clara: quia Desperatio directè opponitur Spei Theologicæ: & quia avertit hominem ab ultimo Fine suo, seu cælesti beatitudine, simulque media omnia ad hanc consequendam abjicit, quis neget, eam esse maximè periculosum peccatum? Unde Isidorus lib. 2. de Summo Bono, cap. 14. ait: *Perpetrare flagitium, mors animæ est; desperare autem, descendere in infernum.*

Quale sit peccatum?

15. Hoc tamen intelligendum est de vera, & voluntaria Desperatione: nam quandoque accidunt tentationes violentæ, afflictiones graves, & inconsolabiles mæstitiæ, quibus interdum animæ cruciantur, ita ut omni Spe destitutæ videantur. De his autem non procedunt hæc dicta; quia sunt potius timores, & angustia excitata à diabolo, vel ex turbatione quadam, aut etiam complexione melancholica provenientes, absque vero & deliberato consensu voluntatis. Super his tamen prudenter invigilare debent Confessarij, hujusmodi afflictas personas in Domino paternè consolando, eisque ostendendo, quòd talia culpâ vacent, quamdiu voluntas eisdem non consentiat; ac proinde easdem adhortando, ut agnitâ proprâ infirmitate, atque demeritis, sese projiciant in sinum bonitatis & misericordiæ Dei, meritaque Salutiferæ Passionis Jesu Christi Domini nostri; simulque non obstantibus quibuscunque afflictionibus, & mæstitijs, bonum operari minimè desistant.

Quid agendum circa personas afflictas?

16. CONCL. III. Desperatio rectè connumeratur inter peccata in Spiritum sanctum, quæ communiter cum Magistro Sententiarum 2. dist. 43. & D. Thoma 2. 2. quæst. 14. art. 2. sex enumerantur; videlicet Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Obsinatio, Impugnatio veritatis agnitæ, & fraternæ gratiæ Invidentia. Ita Doctores communiter: nam Desperatio ipsam Dei oblatam munificentiam & gratiam, quæ Spiritui sancto, ceu Fonti omnium bonorum, tribui peculiariter solet, ex malitia contempnim abjicit; juxta quod impij dixerunt, Jeremiæ 18. *Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.*

Peccata in Spiritum S. quæ?

Inter ea cur numeretur Desperatio?

17. CONCL. IV. Desperatio potest consistere sine actu Infidelitatis, quamvis non rarò habeat annexam Infidelitatem.

Hæc potest consistere.

G g

Ita

cum. & sine
actu infide-
litaris.

Ita Mastrius *loc. cit. n. 34.* cum alijs. Ratio primæ partis est: quia potest quis actum Desperationis elicere, quamvis non sentiat aliquid contra fidem: ut si quis credat quidem, Deum esse iustum ac misericordem, desperet tamen ex eo, quia iudicat salutem sibi esse impossibilem ob suam pronitatem ad peccandum, & contrarietatem, quam in se experitur ad bene agendum. Altera pars ex eo liquet: quia Desperatio facile excæcat intellectum, ut quis credat, Deum non esse infinite bonum, ac misericordem. Unde Cain ob Abel occisum à Deo correptus, desperans, Deique misericordiam negans, ait: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. 4. Et in hoc posteriori sensu Magister Sententiarum *loc. cit.* definit Desperationem dicendo: *Desperatio est, quæ quis diffidit penitus de bonitate Dei, estimans suam malitiam Divinae bonitatis magnitudinem excedere.*

Desperatio,
quid?

18. Quantum nunc attinet ad Præsumptionem, quæ est alterum peccatum Spei Divinæ oppositum per excessum, ea rectè definitur, dicendo: *Præsumptio est Spes obtinendi à Deo gratiam & gloriam æternam inordinate; id est, aliter quàm Deus obtinendam statuit.* Et huiusmodi Præsumptionem esse peccatum ex genere suo mortale, atque unum ex sex peccatis in Spiritum sanctum, conveniunt Doctores.

Potest com-
mitti dupli-
citer.

19. Dupliciter autem peccatum Præsumptionis committi potest. Primò, cum quis præsumit, se Divinam gratiam, aut æternam gloriam ex seipso, & proprijs naturæ suæ viribus adipisci posse: quo modo Pelagiani, antiqui hæretici, & à D. Augustino acerrimè impugnati, præsumebant, se posse proprijs viribus sine supernaturali auxilio Dei omnia præcepta servare, & æternam beatitudinem mereri. Secundò contingit Præsumptio, quando e contra quis præsumit, se solâ Dei misericordiâ ac liberalitate, Christi que meritis, absque propria poenitentia, & cooperatione per bona opera, beatitudinem vicamque æternam consecuturum. Et talis erat Præsumptio Lutherænorum, aliorumque quorundam Hæreticorum, qui per solam fidem in Christum absque alijs bonis operibus sperârunt beatitudinem adipisci, quam S. Concilium Trid. *Sess. 6. cap. 9.* appellat *inanem hæreticorum fiduciam.* & in progressu pluribus refutat.